Iordanis rippas alvei sui tempore messis impleverat Iosue 3°. Sicut dicit beatus Augustinus de consensu evangelistarum: inter omnes divinas auctoritates que sacris litteris continentur merito evangelium excellit. Nec mirum quia sicut dicit Crisostomus super Matheum in eo totius perfectionis norma colitur. Sua gratia intendens ego Christo duce secundum mee tenuitatis modulum ad exponendum sequencias evangeliorum dominicalium ut leguntur in ecclesia stilum accipere pro ingressu eiusdem negocii ad commendacionem evangeliorum accipio verba premissa assumpta Iordanis rippas. In quibus quatuor sacrorum evangeliorum describuntur quo ad tria. Primo quo ad sui efficaciam et misteriorum profunditatem quod notatur in Iordanis significatione cum premittitur Iordanis. Secundo quo ad priorum sapienciam et modernorum studiositatem quod notatur in messis designatione cum additur tempore messis. Tercio quo ad sui exuberanciam et expositorum copiositatem quod intelligitur in rippas alvei repletione cum interponitur rippas alvei sui impleverat. Quantum ad primum efficacia misteriorum sacri evangelii attenditur penes multa et precipue penes 8° que ex Iordanis fluvii proprietatibus colliguntur. Prima efficacia sumitur ex nominis interpretacione Iordanis enim interpretatur fluvius iudicancium ex quo colligitur efficacia evangelii quia confert suis sectatoribus iudicandi potestatem et hoc in die iudicii unde Matthei 19 vos qui secuti estis me. Secunda efficacia sumitur ex sui originatione originatur enim ex Libano qui est mons altissimus et fertilissimus per quem divinitas intelligitur ex cuius ore illa fluenta evangelica immediate profluxerunt secus de aliis libris sacre scripture que mediante Moyse et prophetarum ibidem ergo evangelio appropriate per antonomasiam convenit illud Ecclesiastici 24° ego ex ore altissimi prodivi. Tercia sumitur ex regionum divisione Iordanis enim fluvius dividit Iudeam et Arabiam ut dicit glosa Exodi 32° hoc est regionem fidelium et regionem gentilium incredulorum. Et re vera sacer fluvius evangelicus distinguit fideles ab infidelibus. Circa sola fide evangelii fideles ab infidelibus secernuntur

quemadmodum olim in veteri lege circumcisio populum illum ab aliis distinguebat ut dicit Ro. 4°. Quarta sumitur ex eius apercione nam Iordanis coram filiis Israel se aperuit et eis ad terram promissionis transitum prebens se